7.

REGINAE ELOQVENTIAE PRINCIPATVS

Oratio

In ſolemni Studiorum Inſtauratione
AVGVSTÆ PERVSIÆ
In Aede maxima D. Laurentij
Nonis Nouembris MDCXXXIX.



Nobilissimis Fratribus
Illustriss. atque Excellentiss. D.
D. STEPHANI PAC
Inclyti Regni Poloniæ
SENATORIS
Magni Ducatus Lithuaniæ
PRO-CANCELLARII
Filijs Dignissimis
STANISLAO
&
CHRISTOPHORO
Auditoribus nunc suis
Aeternùm Patronis
OPT. MVNIFICENTISS. HVMANISS.

Felix Verducciolus
Dedicat Consecratque.



Egium mihi hoc anno sumpseram argumentum, auspicali Gymnasij luce, REGINAM producturus ELOQVENTIAM in scenam Laurentiani theatri. nam superbire

meritò cœpit, visa sibi regnare, dum mea vtcumque opera Vobis deseruit, ò propitia mihi sidera, geminum mihi præsidium, geminum decus, GENEROSI INCLYTI FRATRES. At regio illa quidem titulo, non regio item apparatu incessit; quæ nec digna fuit spectari, carens omni pompa cultuque; & quam, scio, vix vlli miser potuissem obtrudere in pedisequam. Vos tamen humanitate vestra iacentem attollitis, ac propè exulem asseritis in suum regnum. Agite, producite ipsi, vt vultis: vestra est: & iure vitam lucemque Vobis debet, quibus debuit conceptum. Valete.

Perusiæ. VII. Id. Nouembris CIↃIↃCXXXIX.

ORATIO

ORATIO.



VÆ alienæ hactenus gloriæ augustis hisce è rostris, vobis humaniter supra meritum plaudentibus (N. N.) superioribus annis meo qualiscunque ex ore balbutiens eloquentia perstrepuit, ea veniam hodierna luce libero ore præfatur, vt aliquando liceat suæ breuiter famæ patrocinari, ac dicere etiam semel pro Domo sua. nam neque illa ignorat, pulcherrimum Studij genus, & si quod est aliud, homine ad ciuilitatem nato longè dignissimum, seruiliter apud quosdam acceptum vapulare pessimis modis, nec satis benè in vulgus haberi, tanquam ipsa sit mera barbaries humanitas, & nugamentum puerile cultior omnis doctrina. Igitur

vt primò contra nouitium morem vetera fastidiendi; tum Ciuibus inuidendam Patriæ sortem, exteræque nobilitati hospitales Apollini colles, gratamque Mineruæ sedem; postremò additum Academiæ VBALDO Principe præsidiũ ac decus verissima voce gratulatus, non prorsus infeliciter sum visus perorare: sic minimè dubia spe ducor, fore vt libentissimis audiar animis, si quid in eius, quam profiteor, Artis commendationem attulero: vt per vestra maximè suffragia, per vestras præcipuè acclamationes, dominam Reginamque meritissima veneratione consalutare ausim eloquentiam. Quòd si minùs dicendo, quod volo, consequar, ad vestra subsellia, Patres, ad vos Iudices ac patronos libentissimè prouocabo: quorum vt Pallas pectora, sic ora Pitho insedit: quò non tam mea vnius di-

centis

centis persuasione, quàm singulorum vestro docentium exemplo commota, hæc ipsa, quæ me lætis studiorum auspicijs læta circumstat, generosum ardorem præferens vultu Iuuentus, agnoscere clariùs, colere discat impensiùs regiam verè imperantis disciplinæ maiestatem.

An non verò Regina est, cui tam diffusè patens obtigit regnum? quippe certas rerũ angustias exosa, nullis circumscripta limitibus euagatur, quà libitum est, iure latissimo facultas dominatrix: vt, cum artes cæteræ præfinitos sibi terminos excedere nec velint nec possint, ac veluti minorum gentium principes litterarij partem imperij aliquam sibi vendicent, à toto abstineant; sola tantæ capax molis, quæ supremum in singulas gerat arbitrium, plenissimaque potestate moderetur vniuersis, &

par vna omnibus viſa ſit eloquentia.

Neque enim cum eloquentiam dicimus, Auditores, inanem verborum copiam, vel circumforaneam loquacitatem, ac theatralem facundiam intelligi volumus; quæ profluentem ſpontè ſermonem per abrupta velox hiberni torrentis in morem ſinè lege præcipitet: vel quæ rerum pondere deſtituta, vt carens ſaburra nauis, fluctuet per inſtabiles vias, itura vndis ventiſque ludibrium; nec magis, quæ ad Rhetorũ præcepta inſigniores aliquot voculas miſerè hinc inde collectas, ac penè oſtiatim emendicatas, exſuccas, exſangues, vita carentes ac ſpiritu, faſtidiosè concinnet, ad breuem aliquam fortaſsè imperitarum aurium voluptatem, fraudemque ignauis animis illaturas; ſed eam dumtaxat, qu lem ab arcano diuinæ humanæque do-

ctrinæ

ctrinæ fonte pectus plenum solet eliquare; quæ cum fluat Hyblæo dulcior melle, Parnassia purior vnda, simul aurum vehat reconditæ Sapientiæ. Illa enimuerò diademate sceptroque dignissima dominatur.

Quæ vniuersa complectitur, ad actionem pariter & cognitionem extenta, quæ bonis ipsa bona fautrixque cultoribus, factis fortiùs agit, quàm dictis: tutela miseris; scelestis excidium; virtuti præconium, vitio infamia; dux deuio, consulenti consilium: non vno contenta vestis genere Princeps heroina; vicissim induta pari decore adstrictis & laxis, picturatis & lævibus; nunc in cothurno grandior, nunc humilior in socco: ea corporis dignitate, oris forma; vt, si quod olim apud gentes quasdam obtinuit, valere hìc debeat, solam potiri deceat imperio. quæ seu

extemporalis ſubita fundat, ſeu meditata nonum premat in annum, vincta numeris, vel ſoluta; ſeu prudens temporum geſta percenſeat; ſemper æmula regum, monumenta ponit perenniora ære & marmore.

Quæ ſi circumfuſum fortè amet ſtipantemque ac ſtupentem tenere populum; captis illicò geſtu oculis, auribus voce, pectorum intima, verborum impetu, ſententiarum telis, impunè peruadit, triumphat: vna potens imperare affectibus, mentes flectere, verſare animos, excutere ferrum iratis, impellere timidos ad arma, miſcere amorem odijs, beneuolentiam reducere; quos libuerit fato eripere, quos libuerit dare; vna Harpocrati voces, nummos Euclioni, Democrito lacrymas, Heraclito riſus exprimere; vna, quã eſſe liberã homini Deus voluit, tyranna voluntatis,

Quid

Quid magis alienum liberis ciuitatibus, quàm inuiſam poſſe pati ſeruitutem? quot bella accepta fortiter, geſta ſemper gloriosè, ſi minùs interdum feliciter, pro mœnibus Patrijs, pro laribus ac focis, nè hoſtis ingrueret? & quàm ſæpè ferro potiùs data ceruix, quàm iugo? & tamen Piſiſtrato ac Pericli regium imperium Athenienſes vi domiti eloquentiæ detulere.

Quid prouinciarum præfectis, vrbium rectoribus magis arduum aut periculoſum, quàm per annonæ ſæuitiam continere in officio eſurientem populum, ac ſemper querulo hominum ventri opportunè conſulere? cui ieiuno verba dare difficile eſt. & tamen, Cicerone dicente, legem agrariam abdicari, hoc eſt ſua ſibi ſubtrahi alimenta plebs Romana ſuſtinuit; quæ & nunquam feſtiuior rediją domum, quàm tunc à foro, verbo-

rum plena, rerum inanis.

Quibus verò te dignis (libet enim & licet hoc loco) elogijs venerabor? Rhetorum lex, magister eloquij, norma dicendi,

Disertissime Romuli nepotum;
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post alijs erunt in annis.

Te suadente, Roscio theatralis authori legis ignouerunt tribus, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt: te orante proscriptorum liberos honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proscripsisti. Salue primus omnium parens patriæ appellate; primus in toga triumphum linguæque lauream merite, & facundiæ latiarumque litterarum parens: atque, vt Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem; quantò plus est ingenij Romani

termin os

terminos in tantum promouisse, quàm imperij.

Iam & quid lucis vsura vel inter mala suauius? quàm innata cuique, quàm contumax vitæ diuturnioris etiam inter aduersa cupiditas? quid naturę exosius, quàm mors, interitus, finis? & tamen Hegesias aliquis Cyrenaicus oratione cogebat homines mori; adeò vt humanæ calamitatis obiecta animis contemplatione plerique voluntarias sibi manus afferrent. Quid hoc est, nisi est regnare? regio planè subditorum in capita vitæ vel mortis arbitrio. Ita vrbes eadem vastare poterat, quæ olim extruxerat eloquentia; cum homines primùm ferino viuentes ritu ipsa coegit in hunc, quo fruimur, cultum vitæ ciuilis.

Et quid mirum, orbem si temperat, orbem quæ condidit? cuius adeò vnius est munus hoc totum,

quod

quod ſpiramus ac viuimus. Hæc terrarum moles, tam vario vultu, tam multiplici forma, quà ridens floribus, quà minans vepribus, confragoſa montibus, amœna vallibus, fertilis campis, aprica collibus, opaca nemoribus; illi vndarum fluxus & perennes & temporarij, præcipites vel lenes, quà riparum amœnitate ſuaues, quà ſaxorum fragore ſæui; illa vaſtitas ambientis Oceani diſſita jungentis littora, fragili ligno leuique lino meabilis, quàm ſæpe horrens procellis, tam non rarò ludens malacia; hæc aura ſpirabilis tot argutis dulciter canora alitibus, tot miris aſpectuum prodigijs veneranda, ſerena & nubila, læta & triſtis, niuibus rigida, tempeſtuoſa grandinibus, pruinis algida, turgida roribus, imbribus fœcunda; hic ſiderum ordo, hæc cæli facies tam artifex tam diuina, & quicquid hìc

eſt

eſt, quicquid viuit, ſentit, intelligit, nonnè vni cuncta deberi quodammodò videntur eloquentiæ? cum Deus cuncta eloquenti crearet verbo, qui *dixit & facta ſunt*: qui & cum hominem de limo terræ formatum, afflato vitæ ſpiritu inditaque (vt ita dicam) Diuinitatis particula animaret, quantùm rationem inter bruta, tantùm inter homines iuſſit rationis interpretem eminere orationem. vt proinde etiam inter Æthnicos meritò fabuloſo cum Ioue ſola non fabuloſè dicta ſit eloquētia fulminare.

Et miremur vbique locorum ac temporum liberalitate Principum impenſiſſimè cultam, totque aureorum millia largiter attributa? tributa enimuerò regnantibus magis, quàm profitentibus ſtipendia. Miremur expulſum regno Dionyſium à ſceptro proturbatum ad ferulam? iam meliorem videlicet

inter

inter innocentes puerorum greges regem? Quid? magni nominis animique Pompeium, adeuntem Rhodi limina Rhetorum, submittentem postibus eruditis fasces laureatos? nempè Reginæ præstantem debita publicæ venerationis obsequia. Quid? huius æmulum Virtutis fortunæque soccerum Iulium, stilo æque potentem ac ense, nec oratoria minùs, quàm imperatoria inclytum laude? imò imperatoria hoc ipso crediderim, quòd oratoria. vt quamquam dignitas abesset, imperare tamen videretur omnium sensu eloquens sapientissimus. Qui nec contentus rerum suarum cōmentarios dedisse, libros quoquè duos de anologia vulgauit, idest leuibus Grammaticorum tricis. eat mihi nunc aliquis malè consultus Censor, seque graue homini conuicium putet dicere, dum professorem dicit eloquentiæ.

Miremur

Miremur Athenis olim, iubente victore, alterutrum facere, eiectos duces, oratores retentos? Quid? militis vestri, Bellatores, Philippi Macedonis celebrem vocem? non Themistoclis audacia vrbem defendi, sed eloquentia Demosthenis. Quid? vestri sententiam Platonis Sapientes? communi iure facundiam regnare cum regibus. Quid? Numerianum Cæsarem, dedicata sibi quondam ex Senatus consulto statua cum superba epigraphe *Oratori potentissimo* plaudentem adeò, quasi præstaret oratorem esse, quàm Imperatorem?

At nihil horum ipsi miremur, Auditores, tanquam supra fidem sint, vel supra meritum. illud miremur potiùs vnum, ac doleamus, iniquiore fama laborare pulcherrimas artes, malignis carpi sermonibus nomen venerabile; & quæ

vna

vna omnium nobilissima ac salu-
berrima professio est, negligi vt
inutilem, irrideri vt vilem. Imò
nè id quidem miremur, si sapimus:
quia hoc quoquè regium, si quid
bene feceris non bene tamen audi-
ueris, dicere solebat Antisthenes.

Verùm bona fide: quemadmo-
dum mortuo Alexandro diuisum
in heredes regnum tot simul regna
fecit amplissima; & quæ regem
vnum ditio terrarum immensa
non satis explerat, ea successores
ad æmulos deuoluta multis vna
regibus abundè suffecit: sic opinor
quæ olim præcipua laus fuerat
eloquentiæ, vt sola regnaret, post-
modum orto intelligendi loquen-
dique dissidio, quot semper præ-
claris fœta artibus, tot nunquam
parens ineffœta doctrinarũ, habi-
to ingeniorum delectu, multiplici
sorte pluribus cessit. Ita res alij,
alij verba cepere. atque hinc ille
fortè

fortè contemptus, hinc illa vulgaris opinio. Non tamen, vt veterum meritorum oblita posteritas velit infeliciter ruptis gaudere fœderibus, quin excussum semel iugum iterum subeat, quæque longùm discordi principatu vexata, suis quæque variè distracta paruit regulis, legitimæ Dominæ tandem pacato foueatur imperio; ac post illum maximè luctuosum litterariæ Reip. triumuiratum ad vnam verè Augustam regnantis Aulam facundiæ cuncta meritissimò referantur.

Vestras modò illa desiderat manus imperio stabiliendo, optimi Iuuenes, quotquot adestis ab externo cœlo vel patrio; vestris ambit ingenijs, vestris laboribus, Itali Germanique ac Poloni lectè flos sanguinis, exposcit firmare opes nullo deinceps impetu sęuientis fortunæ collapsuras. Ostendite

nobi-

nobilitate vestra dignos animos, vt pari fama velitis & ſapere & eloqui. ideſt vni famulari, alijs omnibus dominari.

Nec dum illa precariã animam trahit inops extorris: ſedet adhuc in ſolio dignitatis ſuæ. reſonant Auguſti Lycæi pulpita quot vocibus doctrinæ, tot plauſibus eloquentiæ; nec plura fortaſſe ſunt præcepta ſacratiorum diſciplinarum, quàm lumina elegantioris facundiæ: vt iure mirari quis poſſit, tam arcto fœdere conſpiraſſe mentem cum lingua, Apollinem cum Sophia, cum Aſtræa Mercurium. vt viriliter culta ſupra muliebrem mundum formoſa, nihil horridum ſpirans, tota in amœnitatem blandè cõpoſita, quot ſpectatores habet, tot habere digna ſit amatores, Diuinitatis ſoboles humanitatis parens, Sapientia: vt qui non intime tactus incaleſcat,

eum

eum & frigidiorem ſaxo & rigidiorem ferro dixerim, & feriorem feris & brutiorem brutis, & quiduis potiùs quàm hominem.

Tenet ſuum tenet Suada ſceptrum; & quid ſermo prudens quid conſilium eloquens poſſit, aſſueta ſemper magnis ingeniorum miraculis Neapolis nouit: quæ nouum Cineam mirata, non aliàs ſenſit conciliandis animis, ſerenandis turbidis, molliendis aſperis artes meliores; vt Parthenopæi cantus oblita vnam in poſterum glorioſiùs iactatura ſit Ligurem Diuam. nec tu verò tanti expers boni Peruſia; quæ tali quondam faſtoſa alumno, nunc & triumphas Patrono Præſide HERRERA.

Iam rebus humanis omnibus antiſtat eloquentia, quàm purpuratus patriæ religionis Antiſtes nō minùs patrocinio fouet, quàm tuetur exemplo: vt ea maximè imperet

peret

peret, quæ maximè placet imperanti. Dicite, aut quando

digniùs vnquam
Maieſtas meminit ſeſe Romana locutam?

quàm vel vbi reſponſa è Quirinalis Rotæ Collegio exciperent ſupplices populi; ſeu cum datum BARBERINIO Agamemnoni VBALDIVM Neſtorem per Italiam proceres venerabundi ſuſpicerent; ſeu cum facilior Felſina amabili pareret imperio ſapientis eloquij; vel cum huius amplitudo templi Synodico nuper conuentu concionantis ore Principis læta perſonuit. Itaque rerum domina, faſtidiens veteres titulos, recentiori inhians decori, vltroque famulare in obſequium accurrens, Poetarum carmina, Oratorum voces, omnium monumenta Hiſtoricorum Peruſinæ olim felicitati Vaticano deſtinat Cœlo: & quæ

bene